



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Praeposito Et Fratribvs sancti Stephani in Brolio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

514 Epistolarum Innocentij III.

sapia progenitores tui originem traxerint, & tu ab eis & sanguinis generositatem contraxeris & syncera devotionis affectum quem ad apostolicam sedem geris quasi hereditario jure, jam pridem te proposuimus litteris & nunciis visitare. Sed variis Ecclesie sollicitudinibus derenti, haecenus non potuimus nostrum propositum adimplere. Nunc vero inter alias sollicitudines nostras, hanc etiam assumendam duximus, immo consummandam potius jamdudum assumptam, ut per Legatos & litteras nostras te in laudabili foveamus proposito, & in devotione sedis apostolicae solidemus. Dilectum itaque filium nostrum Dominicum Archipresbyterum Graecorum de Brundisio ad te personaliter destinantes, monemus nobilitatem tuam & exhortamur in Domino, ac per apostolica tibi rescripta mandamus, quatenus ipsum humiliter & devotè recipiens, honorificè ac benignè pertractes, & per eum plenius nobis tuam devotionem exponas. Cum enim plenè nobis per ipsum de sinceritate tui propositi & devotionis affectu constiterit, ad te proposuimus majores nuntios vel Legatos potius destinare, qui tam te quam tuos in apostolica sedis dilectione confirmet, & te de benevolentia nostra efficiant certiores.

*PRÆPOSITO ET FRATRIBVS
sancti Stephani in Brolio.*

*Epist. 267.
Vt Al. Marcellinum in Canonico recipiant.*

Cum pro dilecto filio Al. Marcellino Subdiacono nostro preces vobis misissemus apostolicas & præceptum ut ipsum in fratrem vestrum & Canonicum recipere deberetis, titulati Ecclesie vestrae hoc in suum præjudicium fieri assentes, ne procederetur in illius executione mandati, nostram, sicut audivimus, audientiam appellarunt. Postea vero cum dilectus filius H. qui se Canonicum ipsius Ecclesie assererat, propter hoc ad nostram præsentiam accessisset, proposuit coram nobis quòd cum tam ipse quam socij sui diù Ecclesie illi obsequium impendissent, nec adhuc essent ab ea beneficia consecuti, indignum erat penitus & absurdum si in perceptione beneficij eis alius præferretur. Quia igitur mandatum quod pro eodem Subdiacono emanavit debita volumus executione compleri, titulatis ipsis volentes nihilominus paterna sollicitudine providere, per apostolica vobis scripta man-

damus atque præcipimus quatenus eundem Subdiaconum, prout in mandatis apostolicis recepistis, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo recipiatis in Canonicum & in fratrem, stallum ei in Choro & locum in Capitulo assignantes, reservata vobis de benignitate sedis apostolicae libertate ut de beneficiis quae in Ecclesia vestra vacaverint, canonicè disponatis; provisuri tamen attentius ne ipsius Subdiaconi maliciosè provisio differatur. Si verò, quod non credimus, mandatum nostrum nolueritis adimplere, noveritis nos dilecto filio Guiscardo de Arfag, Canonico Mediolanensi in mandatis dedisse ut vos ad ea quae præmisimus exequenda per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellat. Datum Laterani IV. Idus Januarij.

Illi scriptum est super hoc.

*CISTERCIENSIS, CLAREVALLENSIS,
Pontiniacensis, de Feritate, & universis
Abbatibus Cisterciensis ordinis.*

Novit is qui nihil ignorat, cui nil absconditum, nil est clausum, in cujus oculis omnia nuda sunt & aperta, & qui renes & corda scrutatur, quòd & domos & personas vestras tanto puriore affectione diligimus, & syncerioris caritatis non tam brachiis quam visceribus amplexamur, quanto religionis vestrae flagrantia nos majoris suavitatis odore resperfit, utpote qui facti estis odor vitae in vitam his qui diligunt nomen Dei. Sedentes enim fedetis secus pedes Domini, audientes verbum ejus humiliter cum Maria, & Martha sollicitudinem piis orationibus adjuvatis, cum Moise orantes in monte, ut nos cum Josue hostes Israelitici populi, praesertim invisibiles, expugnemus. Affligitis etiam corpora vestra vigiliis quasi continuis, & assiduis jejuniis maceratis, vacatis operibus caritatis, contenti paucis, ut plura pauperibus ministreris, egentes in vobis, & in aliis abundantes, tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. Thesaurizatis enim thesauros in caelo, ubi nec arugo nec tinea demolitur, credentes Apostolo quòd non habetis manentem civitatem in terris, sed futuram inquiritis. vestra enim conversatio est in caelis. Creditis enim & pro certo tenetis quod audistis in evangelio & legistis: *Quod uni*

*Epist. 268.
Vt quinquagesimam bonorum suorum partem in usus belli sacri conferant.*